



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 14. Via recta ad finem est, ut quisque suam ferat crucem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

sed pauci omnino sunt, qui perveniant ad metam. Non enim considerant, qualis in Cœlo gloria parata sit illis, qui triumphato sæculo Christi fidem, & legem custodiunt. Fecit Deus mundum, & in eo creavit hominem ad imaginem & similitudinem suam, tribuens illi intellectum, ut Factorem agnosceret; voluntatem, ut diligeret, memoriam, ut memor esset mandatorum ipsius ad faciendum ea; sensus ad serviendum ei; linguam ad enarrandas & decantandas laudes ejus. Universa autem, quæ in mundo sunt, propter hominem condidit, eique cuncta subjecit, ut ipse Creatori subiectus rebus omnibus ad salutem suam & ad Dei gloriam uteretur. Sed voluptatum illecebris depravati mortales ad infima deprimuntur, Deique donis tam interioribus quam exterioribus, scientiis, divitiis, honoribus, ipsaque valetudine, & vitâ nonnisi ad commoda corporis, & ad injuriam Creatoris utantur: quibus si rectè uterentur, ornamentum animi forent, vitæ præsentis subsidia, & ad finem ultimum consequendum aptissima instrumenta. Tanta est hominis perversitas & malitia, ut in sui perniciem convertat, quæ sibi à Deo tradita sunt ad perpetuam Beatitudinem comparandam.

§. X I V.

Via recta ad finem est, ut quisque suam Crucem ferat.

DEbet omnis homo, ut finem suum citius consequatur, vitam suam dirigere secundum rationes æternas, & per viam statui suo convenientem ad propositam sibi metam prope rare. Sed non omnes hoc servant, plurimi enim stulto errore delusi viam sibi ad finem proprio arbitrio præscribunt, illam deserentes, quam Divina providentia unicuique destinavit. Sicut Princeps militiæ Regis Syriæ, nomine Naaman, quamvis optaret à lepra sanari, remedium tamen facillimum ab Elizzo præscriptum recusabat, illud præferens, quod ipse sibi sinxerat, solo Propheta tactu se sanandum putans; jamque iratus lepram suam secum ferens recedebat; nec unquam curatus fuisset, nisi postmodum servi fidelis admonitione sapientior factus, indicatum à sancto viro remedium adhibuisset. Ita plerique propriam sibi semitam sternunt, quâ perveniant ad finem, multa decernentes à proprio sta-

tu & instituto aliena, quibus exequendis vel facultas deest, vel occasio, vel obstant, quæ prætermitti nequeunt, quotidianæ occupationes. Ex quo fit, ut semper in desideriis sint, & nihil unquam, quod ad finem obtinendum proficit, operentur. Via autem brevis & expedita illa est, quam Christus ostendit dicens, ut, qui vult ipsum sequi, accipiat & ferat crucem suam: suam inquit, non alienam: à Deo acceptam, non à se inventam: non quæ temerè usurpetur, & vires excedat; sed quam paravit Divina sapientia, quæ simul ferendi vires subministrat. Cavendum igitur primò, ne mens aberret à fine, quem qui nescit, illa quoque ignorat, quæ ad ipsum perducunt. Tum cognito fine, quoniam diversæ occurrunt semitæ ad ipsum pergere volentibus, illa præferenda & eligenda, quæ proprio statui conveniat, ut quisque videlicet crucem suam ferat, sicut Dominus præcepit. Porro crux singulorum hæc est, officio suo exactissimè fungit, adversitates quotidie currentes patienter ferre, & ad perfectionem sui status nullâ prætermissa occasione se ipsum erudire. In omni loco & statu Christianam perfectionem consequi licet, & pervenire quò tendimus, si in vocatione sua quisque permaneat.

§. X V.

Conditiones ultimi finis, & cur ab illo plerique aberrant.

ULtini finis duæ sunt conditiones, quod sit bonum perfectum, & quod sit per se sufficiens, ita ut vitam profus tranquillam, nullòque exteriori bono indigentem reddat, atque omnem motum terminet naturalis desiderii, etiam si solum possideatur. Quicumque enim indiget, illud, quo indiget, adipisci desiderat: qui autem aliquid desiderat, non quiescit, donec illud consequatur. Hæc verò conditiones in solo Deo reperiuntur, qui summum & perfectissimum bonum est, & solus potest omne desiderium nostrum explere. *Satiabor*, inquit Propheta, *eum apparuerit gloria tua.* (Psal. 16: 15.) Verumtamen humani generis vitium execrabile est, ut summum bonum illud esse definiat, quod præ cæteris ita diligit, ut ab eo amoveri non possit, quamvis propriæ conscientie judicio id malum esse non ignoret. Tanta vis est perversi animi, ut nec alieno, nec pro-